

1679.

1. Alberti, Valentinus : De necessario dependente
2. Alberti, Val : De divisione majestatis in regalia
majora et minora.
3. Carpzovius, Augustus Benedictus : De confessione
legis.
4. Carpzovius, Augustus Benedictus : De exemptione
5. Carpzovius, Augustus Benedictus : De jure braxandi
6. Christ, Joh Alexand : De renovatione investiturae
7. Christ, Johans Alexand : De adimatione.
8. Francus, Nicolaus Bartholomaeus : De peregrinatione
9. Aglius, Andreas : De juribus vagabundorum.
10. Aglius, Anders : De juribus absentium
11. Pacheffbe a Gehay, Gabriel : H [S.] Emidicus posthume
jurs' Decorum.

1679.

12. Rechenberg, Adamus: De Marco Livio Druso, trib. pleb.

13. Rechenberg, Adamus: De Thala, Chemnicorum rege ex Tacit.

Ann. XI. c. 16. 17.

14. Rechenberg, Adamus: De moderatione iudicii circa
controversias status publici.

15. Rivinus, Quintus Septimius: De favore juris
circa longa dia absentiam 2 Sent.

16. Romanus, Wilhelm: De corpore delicti in crimi-
nibus facti permanentis potestatis ad effectum
condemnationis considerato.

17. Schmidt, Johann: De obligatione legum civilium.

18. Schwendendörfferus, Bartholomaeus Terhardt: De
renunciatione fori privilegii.

19. Schwendendörfferus, Bartholomaeus Terhardt: De jure
circa pueros.

1679.

20. Tellerus, Romanus : De confusione obligationum.

21. Tellerus, Romanus : De oneribus feudi.

22^{9^{te}} Thomerius, Christianus : De vagabundo seu eo, qui

est sine domicilio . . . 2 Inempl. An. 1731 & 1739.

23. Zieruf, Theodorus Berabertus : De gratitudine

16

12.0

13.

14

15

16

17

18

19

[Faint, illegible handwriting in cursive script, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



1679, 1
GRATIA REDEMPTORIS ADSIT.
SPECIMEN

Demonstrationum Metaphysicarum
De

NECESSARIO DEPENDENTE,

Sive
Quod Causam habet,
Independentis Dei auxilio,

Et
Inclutæ Facult. Philosoph. consensu,

PRÆSIDE
DECANO SPECTABILISSIMO,
VIRO

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DN. VALENTINO ALBERTI, S. S.
Theol. Doctore celeberrimo, ejusdem Prof. Extraordinario,
Metaph. & Dialect. Ordinario, Facult. Philosoph. Assessore, Colleg.
B. M. Virg. Seniore, Academiæ Decemviro & Alumnorum
Electoralium Ephoro undiquaq; meritissimo.

Dno, Patrono, Promotore ac Præceptore suo Parentis in-
star æviternum devenerando, colendo,

Die XX. Decembr. M. DC. LXXIX.

publicæ Eruditorum disquisitioni proponet,
Godofredus Nöllicke/Annæb. Misn. Philo-
soph. & S. S. Theol. Stud.

AUTOR-RESPONDENS.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,
Literis MICHAELIS VOGTH. 1679

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





כירה

Verissimum est, Metaphysicam hodiè mutata[m] esse de facto (a) in Lexicon quoddam Philosophicum, in quo præter Explicationem terminorum vix aliquid, splendido imprimis scientiæ titulo dignum, liceat reperire. Sed longè aliter hæc de jure sese habere potest ac debet. Disciplina, quæ Sapientia (b) quod est, scientia cum Capite, scientia (c) prima, scientiarum omnium (d) princeps ac Domina, dicitur ab ipso Philosophorum Principe; tantum abest, ut nullum inter scientias locum mereatur. Enimvero ad fastigium scientiæ, & quidem, quod apud Aristotelem obtinet, summum aspirare valet, agendo de Deo, quantum fieri potest, demonstrativè, qui juxta illum est præcipuum hujus disciplinæ objectum; cujus etiam respectu nomen Theologiæ (e) ipsi tribuitur. Ausim tamen & ad aliâ, imò omnia, quæ directè (f) ad eam pertinent, demonstrationes, natamque ex his scientiæ certitudinem extendere; si scilicet non vulgato more, sed, ceu par est, accurate

A 2 rate

ratè pertractentur, & ex suis [jam cognoscen-
di tantum, jam simul essendi] principiis dedu-
cantur. Specimen hujus rei ego non minus
quam profectuum meorum jam dare institui;
Necessarium, quod dependens dicitur, ad du-
ctum plurimum Reverendi atque Spectabi-
lissimi Domini Præsidis ita tractaturus, ut non
tantum diversi ejus termini, quæ opera Lexi-
cographi Philosophi est, intelligantur, sed &
proprietas ejus de subjectis suis, quod scien-
tis est artificium, perspicue demonstrantur.
Ad hoc rectè deducendum præmittam Ca-
put primum de Præsuppositis, mox subjiciam
secundum de demonstrationibus ipsis; Deo,
qui Ens summè necessarium est, benedicente
& opitulante.

(a) B. Danhauerus in Epit. Dialect. App. p. 2. Celeberrimus
Thomasius in Historia Metaph. p. 73. seqq.

(b) I. Metaph. Aristotelis Cap. II.

(c) XI. Metaphys. cap. 7.

(d) I. Metaphys. Cap. II, & Lib. III. Cap. II.

(e) VI. Metaphys. Cap. I.

(f) Si Entia rationis & Non-Entia, quæ indirectè so-
liusque vi oppositionis ad Metaphysicam refe-
runtur, jungas Entibus realibus, dici de hac di-
sciplina poterit, quod ex Aristotele Lib. I. post. Anal.
Cap. 3. textu 1. aliàs desumitur: Nec omnia nec nulla
sciri aut demonstrari possunt.

CA.

CAPUT I.

DE

Præsuppositis.

§. 1.

Ignorans rationem, cur res sit, cum sit ejus rei demonstratio, non præsuppositus est sciens. Quæ verba non tantum ipsius sunt Philosophi Lib. 1. post. Anal. Cap. 6. text. 6. sed & indissolubili, quod inter scientiam & demonstrationem est, vinculo solidè nituntur. Illa enim hujus est effectus, ac proinde sine hac dari non potest. Natura scientia & demonstrationis.

§. 2. Contrà, propter eandem scilicet cognationem, scire putamus unamquamque rem, cum putamus causam cognoscere, propter quam res est, ejus rei causam esse, nec posse eam aliter se habere. Sic Philosophus iterum d. l. Cap. II. Textu 1.

§. 3. At verò, non omnis Causa est causa illa, propter quam res est; ceu recte monet Zabarella Lib. de speciebus Demonstrationis Cap. 21. col. 464. Hujus enim nomine tantum digna est Causa (stilò Zabarellæ,) simpliciter proxima; quam contradistinguit Causa in certo genere proxima; quod discrimen à nemine hætenus declaratum esse, ad gratiam gloriamque novitatis aucupandam notat ipse ibid. col. 462.

§. 4. Exemplum talis causæ, remotæ simul, simul proximæ in certo genere accuratè oppositum, ap. Zabarellam d. l. hoc est: Vadit aliquis in forum, ut videat amicum; si quis igitur querat, cur in forum vadis? potest ille respondere: Quia sum animatus, & ita causam asseret effectricem, remotam tamen: quia anima est causa remota illius ambulationis, quum alia sint cause effectrices propinquiores effectui, ut spiritus vitales, qui moventur ab anima; & membra instrumentalia, quæ moventur à spiritibus, ut pedes: ergo si statuamus, pedes esse causam effectricem illius ambulationis proximam ipsi effectui, quæ non detur alia propinquior, ea tamen alia ratione non est causa proxima, nam respectu quidem aliarum sui generis proxima est, nempe ut effectrix: at simpliciter non est proxima: et si enim in genere cause effectricis non datur alia propinquior at tamen in alio cause genere aliam propinquior em ille effectus habet, scilicet causam finalem, quæ est

visio amici in foro: hac enim causa est, cur anima moveat pedes, & pedes eum hominem in forum ducant.

§. 5. Hinc vero colligere quis posset, causam finalem tantum esse causam simpliciter proximam, & di nō, propter quam res est; quippe quam Exempli Loco Zabarella, primus, se ipso teste, illius apud Aristotelem observator posuerit, & quæ inter reliquas Causas particulam, propter, propriam, tanquam Criticam aut discretivam, acceperit.

§. 6. At verò *Causa proxima simpliciter*, inquit idem *ibid. col. 464. alicujus rei est Causa finalis, alicujus autem efficiens, vel aliqua alia.* Et paulo post: *Proxima & æquata causa, quæ satisfacere possit questioni propter quid est, interdum est Efficiens, interdum finis, interdum alia Causa.* Verbo: *Talis est omnis illa Causa, ceu in Antecedentibus ibid. explicat se ipse, quæ posita illico ponitur effectus.* Quid multa? testem habemus Philosophum ipsum, qui *Lib. II. post. c. XI.* demonstrationes per omnia causarum genera extrui posse, prolixè ostendit.

*Applicatio
Ejusdem ad
presens ar-
gumentum.*

§. 7. Positâ vero hâc Latitudine causæ simpliciter proximæ, licebit & nobis de NECESSARIO DEPEN-
DENTE omnes quatuor Causas, in quantum scilicet ta-
lem propinquitatem hoc Loco assequuntur, in demon-
strando adhibere. Quemadmodum etiam Demonstra-
tionem τὴ δῖοτῖ sive propter quid, quæ potissima est de-
monstratio, & ab hujusmodi causa dependet, promitti-
mus; tametsi aliàs in Metaphysica non minùs ac in aliis
Scientiis dentur etiam demonstrationes τὴ ὄτῖ, quæ vel ab
Effectu proximo, vel à causa remota petuntur.

§. 8. Præterea patiemur etiam à nobis hic exigere, ut
subjectum, de quo demonstramus, & attributa, quæ de-
monstramus, & principia, per quæ demonstramus, realiter
à se invicem sint distincta, tametsi in aliis Demonstra-
tionibus Metaphysicis, in primis de Deo, rigor ille non adhi-
beatur; & ad scientiam omnino videatur sufficere, si tria il-
la, quæ dixi, (subj. attrib. principia) adsint, sive realiter, sive
formaliter tantum à se differant; cum scientia ex Demon-
stratione τὴ δῖοτῖ nata, nihil sit aliud, quàm notitia certa
à pri-

à priori; quæ sine reali trium illorum requisitorum distinctione potest obtineri.

§. 9. Formabimus autem de singulis Necessarii dependentis speciebus certa Axiomata; quæ cave, pro Topicis habeas, quamvis ad modum horum efferantur. Nostra enim, quæ talia, sua naturâ sunt certa, cum Topica, quæ Topica, valeant, quatenus sententiis hominum & judiciis sunt consentanea; quò modo *ᾠδοξία καὶ ἔνδοξα* discernuntur. Imò nostra Axiomata non, uti Topica, fidem debent conciliare specialibus probationibus, sed illas, cum in se sint firmissimæ, ὡς ἐν τύπῳ tantum referre.

§. 10. Necessarium verò in genere est: τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως εἶχειν, quod aliter se habere non potest, i. e. quod ita est necessarium, ut nullo modo possit esse contingens. *Aristotel, Lib. V. Metaph. Cap. V.*

Præsuppositum Secundum de Necessario.

§. 11. In specie, missis jam aliis Necessarii distinctionibus, nos assumimus tantum necessarium independens & dependens.

*Applicatio
Ejusdem ad
Thema nostrum.*

§. 12. Independens vocamus illud, quod aliis à se ipso esse, nullamque habere causam dicitur; quale est Necessarium ex Incomplexis, Deus, & ex complexis, prima cognoscendi principia. Deus enim nullam Causam proferentem; hæc nullam inferentem habent.

§. 13. Alterum, quod dependens dicimus, est necessarium per Causam; quo nomine apud Auctores etiam nonnullos venit; indeque totuplex etiam est, quotuplex ipsa Causa, testante Philosopho II. Post. Cap. XI. Jam verò cum causa sit vel efficiens, vel materialis, vel formalis vel finalis: Erit quoque aliquid necessarium vel ratione Causæ Efficientis, vel ratione causæ materialis, vel ratione causæ formalis, vel denique ratione Causæ finalis.

CAPUT II.

DE

DEMONSTRATIONIBUS IPSIS.

§. I.

Primum necessarium dependens est tale ratione Causæ Primæ Necessariæ Efficientis, quod scilicet, posita ejusmodi causæ Efficientis, cessariæ Demon-

non

*pendentia
Species, re-
spectu Cau-
se Efficien-
tis.* non potest non fieri: vel quando Effectus ob naturam & conditionem causæ Efficientis, non potest se aliter habere: Sicut v. g. ignis ob virtutem combustivam non potest non comburere omnia ad comburendam idonea. Quæ de Causa etiam tale emergit Axioma Apodicticum: *Cujuscumq; causa Efficiens est necessaria, illud ipsum fit necessariò.*

§. 2. Hæc vero Causa Efficiens, adnotante ipso etiam Aristotele, loco proxime allegato text. 10. est bipartita: altera est *κατὰ φύσιν καὶ τὴν ὁρμὴν*, secundum naturam ac appetitionem, adeoq; subjecto non repugnante; sicut secundum naturam omne grave deorsum, & omne leve sursum tendit. Pendeat sublimis v. g. in aëre lapis, refectur funis, quò antea pendeat, videbis eundem ex naturali ad quietem in terra occupandam inclinatione decidere. Sic dato Sole, non repugnante corpore receptivo (Aëre) necessariò etiam datur illuminatio; quia enim Sol tanquam Causa efficiens est lucidus, ideo necesse est, gignat quoq; talem Effectum, qui suæ Causæ ex asse respondeat.

§. 3. Altera est *βίαια, ἢ ἐναντίον τὴν ὁρμὴν*, violenta, quæ est præter & contra subjecti appetitum aut inclinationem sive naturalem sive elicitam. Hinc describitur aliàs ab Aristotele V. Metaph. Cap. V. quod impediatur aut prohibeatur rem, præter & contra propriam ejus propensionem aut electionem, ne scilicet eo modo se habeat, quo secundum inclinationem suam, aut propensionem se habebat, Violentum aliàs duobus sumitur modis: uno activè pro eo, quod vim infert; sicuti v. g. qui contra inclinationem Lapidem sursum projicit, furem in patibulum agit, dicitur violentus; nam sane, cum omne grave per naturam tendat deorsum, & petat Centrum, non potest non contra inclinationem Lapis protrudi sursum: Et cum quilibet aversetur malum, appetat bonum, sane contra appetitum fur in patibulum agit. Altero modo passivè pro eo, quod per vim alterius sic agit aut patitur; quo pacto motus Lapidis ex inferiori, & quies in superiori loco nomine violentorum veniunt; quia hanc vim vel violentiam pati cogitur Lapis à percutiente & retinen-

tinente. Cum ergò violentum hoc modo dicatur ne-
cessarium, non est violenti nomen sumendum priori mo-
do, pro eo, qui vim infert alteri (hæc enim in se non est ne-
cessaria, aut necessario infertur, poterat enim ejusmodi in-
ferens hanc plane intermittere. Est igitur & dicitur ejus-
modi violentum non necessarium, sed necessitans,) sed po-
steriori modo. quia tum demum cum inferens sive neces-
sitans violenter agit, dicitur violentum necessarium ex
parte illius rei, quam hoc violentum sustinere cogitur, uti
hoc loco erant exempla lapidis & furis; Lapis enim & fur
hoc violentum non possunt à se amovere, hoc ergo cum
non queant, sed sustinere cogantur, eo ipso fit necessari-
um. Hinc molestia subinde hujus necessarii comes est,
testante Aristotele: *V. Metaph. Cap. 5. Quod enim, inquit,
violentum est, necessarium esse dicitur, quo fit, ut molestum sit;*
quia præter inclinationem hanc rem perferre cogitur,
quod non faceret, si sibi relinqueretur.

§. 4. Tametsi vero his aliisq; modis differat neces-
sarium, id tamen perinde ad demonstrationes Metaphysi-
cas pertinet. Ratio enim à priori in omnibus illis Neces-
sarii speciebus, propter quam ita se habent, nec aliter se ha-
bere possunt, est Causa necessaria.

§. 5. Quod autem Politicæ est licitum, ut è particula-
ri, quæ de hac aut illa Republica tantum agit, exempla pos-
sit desumere; illud etiam Metaphysicæ non est inviden-
dum; præsertim cum universalissima & Architectonica sit
disciplina. Sit itaq; necessarii, quod secundum inclinationem
subjecti, aut eo nõ repugnante fit, exemplum aer necessa-
rio illuminat9. præsentente Sole. Unde nascitur hæc ἀποδείξις:
Quocunq; tempore subjecto non repugnante adest cau-
sa necessario illuminans, eo necessario illud est illumina-
tum. Atqui interdum &c. E. Necessarii, quod subjecto re-
pugnante fit, exemplum esse potest homo, quem ventus
vehemens alio rapit, quò alias Aristoteles ipse ad declaran-
dam actionem, quæ invita est per violentiam, apte utitur.
Hinc demonstratio fluit talis: In quemcunq; operatur
causa

B

causa

causa loco movens necessariò, ille necessariò alio abripitur.
Atqui in hujusmodi hominem &c. E.

§. 6. Sed cum Metaphysica, ceu modò dictum fuit, sit disciplina, imo scientia, universalissima, nihil in particularibus disciplinis, quod abeat ab ejus Axiomatibus de Ente generaliter formatis, occurrere debet; aliàs illa non essent verè apodictica, minimum universaliter non essent certa. At verò, videtur tale quid contingere huic Axiomati nostro in influenza Astrorum, quæ operantur necessariò, & tamen voluntas nostra, quæ illâ operatione non prorsus est exempta, est & esse debet libera. Annon itaque sic ruit nostri Axiomatis universalitas?

§. 7. Ubi varii variè. Id equidem negari nullo modo potest, corpora cœlestia in hunc Mundum inferiorem agere, cum testis sit firmissima, satque valida experientia, id ipsum cuilibet ante oculos ponat. Paulo penitus modo perlustremus singula. Sic Sol sane singulis diebus oritur, singulis iterum occidit, &c. ascendit singulis annis, iterum descendit, omnibus rebus administrat Lucem, profert colores atque picturas. Nihil in anni semper renascentis partibus est, quod huic non adscripseris, nihil in dierum noctium, & umbrarum inæqualitate est, quod hujus non fiat opera. Discutit hic ipsius cœli tristitiam Lumine suo, ipsa etiam sidera serenat; *Sperling. Instit. Phys.* p. 487. Sic, nonne Heliotropium omnibus horis cum sole converti creditur? Quid dicam de seminibus & usque, quæ sane solis calore succum suum attrahunt, hicque si detecerit, remittunt. Idem ille Calor maturitatem omnibus sane fructibus imponit; hoc tempore virescunt grana, folia, flores; alio delectatur visus præsentia dulcissimorum pomorum, cerasorum &c. insequuntur hæc multa alia, quæ jam prætermitto. Quæ sane omnia partim Calori Solis, partim influentiæ ejus sunt adscribenda. Influit ergo Sol, non tamen ita, ut nihil ulterius reliquis relinquat astris. Magnam enim & Lunæ in hæc inferiora agendi vim esse, quis negaverit, cum exempla non pauca proferret? Plurimum enim licet decedat huic quantitate, pollet tamen.

men adhuc qvalitate sive Efficacia. Hanc enim sane ju-
re optimo Dominam in corpora humana, & quid dicam
humana? in quævis inferiora, in primis in humida dixeris.
Hâc enim crescente, crescunt in ossibus medullæ, in cor-
poribus humores &c. quæ de crescente hâc iterum dimi-
nuuntur. Hæc varios producit morbos; variisq; iterum,
imponit limites. Idem hoc de aliis quoq; astris sentien-
dum, quod de excellentissimis, Sole & Luna diximus. Ex
quibus constat, astris non denegandum influxum, cum
ipse etiam homo ab eo non sit liber.

§. 8. Quod autem Voluntatem nostram attinet, si
& illa sit astrorum operationi committenda, distinguen-
dum est ante omnia inter influxum directum & indi-
rectum, necessitantem & inclinantem. Directus est, qui
fit sine interventu rei alterius. Indirectus, ubi aliud quid
intercedit. Necessitans, qui cogit: Inclinans, qui dispo-
nit. Applico: In Animam itemq; voluntatem hominis
influunt astra, non directè sed indirectè, non cogendo, sed
saltem inclinando. Dominabitur igitur astris prudens,
nec nisi insipiens horum sese serviliter subjiciet domi-
nio.

§. 9. Et quæso, quæ ratione illud, quod in agendo su-
am libertatem habet, ullam ab astris determinationem pa-
teretur, cum huic determinationi repugnet Libertas, & li-
bertati determinatio? cum in super illud, quod ad homi-
num, brutorum, plantarum, aliarumq; rerum sublunaris
mundi operationes indifferenter se habet, nihil determi-
net per se; indifferenter enim non magis ad hoc, quàm ad
illud fertur; jam vero astra ad hominum, brutorum, plan-
tarumq; operationes proprias indifferenter sese habent,
quia hæ actiones à proximis Causis sive propriis formis,
non verò à remotis & communibus agentibus determina-
tè fiunt; nihil ergo determinare poterunt.

§. 10. Nec quicquam hoc loco valent, quæ aliàs
proferri solent, Exceptiones; tot stellas (1) non frustra ef-
fe factas. (2) prædictionibus respondere eventus. Nam
illud quidem verum est, quod ne minutissima quidem
stel.

Stella frustra fit facta, exinde tamen non licebit inferre conclusionem: E. ad determinandam hominis voluntatem, cum mille subsint alia Causa. Nec nos per vanam ignorantiam debemus affectare scientiam. Licet enim interdum Eventus prædictionibus astrorum respondeat, fit tamen hoc non semper, sed rarissimè; accedit & hoc, quòd notemus sperata, insperata negligamus. Servabimus ergo astris influxum generalem sive indifferentem, denegabimus specialem ac determinantem.

Secundum
Necessariū
ratione
Materia.

§. 11. Succedit Necessarium dependens ratione materiae, quando aliquid propter materiam non aliter esse potest. Nam qualem aptitudinem & dispositionem in materia invenis, talem quoque in materiato sive Effectu habebis; si materia erit spissa, tale quoque habebis materiatum; si flexilis, habebis flexile; si dura, molle invenies nunquam. Hinc cum summa hujus materiae necessitas, maximaque universalitas, ut omnia materiata suae materiae respondeant, quid obstabit, quo minus jure optimo tale formemus Axioma Apodicticum: Qualis materia, tale necessario quoque materiatum.

§. 12. Statim tamen adnoto, Canonem hunc esse intelligendum de materia *non transeunte*; nam in his Exemplis sane non procedit: Vinum est dulce; E. acetum è vino genitum eadem dulcedine gaudebit; cum enim materia à se ipsa abeat; quid obstat, quo minus & materiatum à sua deflectat materia novamque formam imbibat? *sed permanente*, ubi in suo materiato materia secundum formam coherentem eadem planè permanet.

§. 13. His observatis facile est, demonstrare in Philosophia Christiana, omnes stellas ne Lunam quidem exceptam lucem (minimum aliqua ex parte) habere propriam; cum præsupponatur, Lucem primigeneam inter creandum inter ipsas à Deo fuisse distributam. Quicquid enim creatum est ex luce, illud est lucidum. Atque stellæ &c. E. Haud dissimilis est irati Creatoris collatio aut collectio Gen. III. 19. *Quia pulvis es, in pulverem revertaris.* In eo saltem est diversitas, quod à nobis à qualitate Lucis ad

ad qualitatē corporum lucidorum in statu durationis, à Creatore à qualitate terræ ad qualitatē Corporum terrenorum in statu resolutionis procedatur,

§. 14. Procul verò ut à mente Creatoris, ita ab Axiomate nostro Apodictico abeunt Sociniani, & qui cum ipsis faciunt, Arminiani & Pontificii, asserentes: primum hominem antequam laberetur, naturâ immortalem non fuisse; quia nempe materia ipsius IV. Elementa fuissent corruptibilia; hinc inter alia sic argumentantur: *Quicumq̃* è materia corruptibili est formatus, ille ipse naturâ est corruptibilis. Atqui primus homo è materia corruptibili etiam ante Lapsum erat formatus. E. etiam ante Lapsum naturâ fuit corruptibilis. Majorem probant: *Qualis materia &c.* Minorem; homo terrenus erat, I. *Cor. XV.* At verò formatus erat Adamus è materia sive Terra non maledicta, è qua nascebatur mortalitas, sed benedicta. *Vid. Summe Reverendi Dn. D. Scherzeri Colleg. Antisocin. Disp. 30.* Porro si objiciant qualitates contrarias, è quibus homo sit compositus; Respondemus, concedendo, in homine integro fuisse quidem contrarias qualitates, ita tamen temperatas, ut optime sine corruptione, imò absque corruptibilitate potuerint consistere; aderat enim elegantissima harum harmonia, quâ eversâ, illæ hodie in statu corrupto ita sunt comparatæ, ut una alteram faciliè corrumpat ac destruat. Ideo à statu corruptionis ad statum integritatis concludere non licet. Imò post Lapsum Protoplastorum sive totus Mundus, qui eadem cum homine materia gaudet, per VI. ferme millenarios stetit, totalis corruptionis expers; quanto magis parvus mundus aut homo in integritate sua permanens, potuisset subsistere, licet illam materiam, habuerit. Videatur *Discursus Metaph. plurimum Reverendi atq̃ spectabilissimi Domini Prasidis.* Interim facili negotio possum concedere, hominem fuisse corruptibilem; verum corruptibilitate non intrinsecâ, sed extrinsecâ, respectu superioris agentis, ipsius scilicet Dei; sed hæc corruptibilitas à nostra quæstione est aliena.

Tertia Ne- §. 15. *Tertia* Necessarii dependentis species est ta-
cessarii De- lis ratione formæ. Hæc enim cum τὸ τὶ ἢ εἶναι five Ef-
pendentis sentiam rei conferat, non potest non hanc sibi conforma-
species, rati- re; ut sponte fluat hinc Axioma nostrum Apodicticum;
one forma. Qvalis est forma, tale quoq; necessario est formatum.

§. 16. Hoc fundamento innixi concludimus fir-
missimè: Cujus forma est rationalis, ille ipse necessario est
rationalis. Atqvi hominis forma &c. E. Pergerem in Ex-
emplis, nisi *forma substantialis in nulla re nobis nota plene &*
plane esset; ceu verè statuit eleganterqve loquitur Scaliger
de subtilit. Exercitat. 307. sect. 12. Sicut enim vulpes elusa à Ci-
conia lambimus vitreum vas, pultem haud attingimus; quod e-
jusdem subtilitatum Magistri est simile l. c. sect. 21.

§. 17. De genericis tamen formis, quæ nobis faci-
lius & frequentius innotescunt, hæc viâ non paucas nec
incertas possumus instituire demonstrationes; Sic bruta
certò clareq; concludimus esse sensitiva: Quorum enim
forma (generica) est sensitiva, illa ipsa necessario sunt
sensitive. Atqvi brutorum &c. E.

§. 18. Similem in modum à formato regredimur
feliciter, contra Cartesianos, ad formas substantiales in
omnibus corporibus demonstrandas. Quæcunq; enim
entia per se composita sunt substantiæ, eorum forma est
substantialis; Atqvi omnia corpora naturalia &c. E. Vim
hujus argumenti agnoscens ex illa secta Logicæ ac Me-
taphysicæ in Academia Leidensi Doctor Heereboordus sol-
licite omnia circumspicit effugia, ut jamjam captus elabi
possit. *Quod spectat, inquit in philosophia naturali p. 31. sen-*
tentiam Cartesii, quæ eadem est sententia Regii, ea talis est: formas
corporum naturalium non esse substantias, sed nec esse Accidentia,
prout Accidens more Aristotelico sumitur, pro Ente reali substan-
tia opposito, quod vulgo vocant Accidens predicamentale; sed si
accidentia dici debeant, non aliter dici posse quam prout accidens
significat omne id, quod quocunq; modo à subjecto abesse vel ei
adesse potest: Sola itaq; materia ipsis substantia est; id, quod for-
mam vocant Aristotelici, modus est materia, partiumq; in mate-
ria, tum sensibilium, tum insensibilium, ortus ex vario materia par-
tiumq;

tiumq; ejus motu, magnitudine, figura, situ, distantia, numero, qui-
ete, & id genus aliis, quæ omnia simul sumta significant formam,
materiae superadditam, & cum materia constituentem corpus na-
turale; sed non significant novam substantiam à materia distin-
ctam; & quamvis singula istorum mutari, & nunc abesse nunc
adesse possint; universa tamen à materia partibusq; ejus abesse ne-
queunt, unde omne compositum, aut corpus naturale, ex materia,
atq; ex eis constituitur: & quamvis materiae sint accidentalia, to-
ti tamen sunt essentialia, i. e. quamvis singula materiae modo adsint,
modo absint, scilicet nunc hæc nunc illa propter sui mutationem,
toti tamen Essentiae corporalis naturalis semper adsunt, aut clari-
us, corpori naturali cum materia totam largiuntur essentiam;
hinc rectè talis forma ex materiae accidentibus resultans, motu, fi-
gura & c. dicitur toti corpori naturali essentialis, rectèq; definitur
ut ab Aristotele omnis forma λόγος ἢ οὐσία, ratio essentia. Sed ut
taceãjam ea, quæ huic novitati rectissime firmissimeq; op-
nüt Phyci, satis superq; absurditas ejus ex Axiomate nostro
deduci potest, dum contra ejus apodicticam certitudinem
in substãtia, accidentib⁹, essentia illius adscribitur. Nec ju-
vat eos distinctio inter accidẽtia prædicamẽtalia & prædi-
cabilia, quã Heereboordus ex Logica sua modo in subsidium
vocabat. Nam & ea accidentia, quæ quocunq; modo à sub-
jecto abesse vel adesse ei possunt, uti Cartesianorum acci-
dentibus definitionem accidentium prædicabilium idem
Autor aptabat ipse, subjecto suo sunt extraessentialia; ali-
às enim abesse & adesse non possent. Quid vero extraef-
sentialia ad Essentiam facient? Hoc videns Heereboordus
primùm in allegatis verbis talia accidentia toti essentiae
corporis naturalis semper adesse tantùm dicit; quod quid-
dem verissimum est; sed ne causæ suæ noceret, statim non
sine maxima absurditate subjungit: *Aut clarius* (quasi
exegeticè, per æquipollentiam quoad rem loqueretur) cor-
pori naturali cum materia totam largiuntur (hoc scilicet mo-
do) essentiam. Quis autem hæc diversissima esse non fa-
cile perspiceret: adesse corporis naturalis essentiae; & corpori
naturalis largiri essentiam? Prius de quibusdam accidenti-
bus, maximeq; de propriis verissimum est; sed posterius:
de

de omnibus falsissimum. Essentialia enim consecutiva
nunquam constitutiva fieri ac dici possunt accidentia pro-
pria; nisi vim naturæ inferre, rerumque essentias pervertere
velis.

§. 19. Dum autem mentionem antea fecimus §. 16.
animæ humanæ, ad probandam Axiomatis nostri certi-
tudinem, videtur hanc evertisse, si scilicet anima nostra
spectetur non prout est rationalis, sed spiritualis. Qvalis
enim est forma, tale quoque est formatum. Atqui anima
humana &c. E. Ubi absurditas Conclusionis Majorem,
quæ est nostrum Axioma, non patitur esse veram. Sed
Respond. limitando Majorem: qvalis est forma *in esse for-
mæ*, tale etiam est formatum, & sic concedimus totum;
nam $\tau\delta$ spirituale sive spiritualitas non pertinet ad ani-
mam in esse formæ, sive quatenus est forma, sed quatenus
consideratur in sua Essentia, secundum quam est Ens
spirituale oppositum omni Enti materiali. De iis au-
tem, quæ animæ competunt, prout est forma informans
hominis, optime concludit dictum Axioma, siquidem re-
cte infero: forma hominis est e.g. vivens, &c. E. ipsum
quoque formatum sive homo erit vivens. Deinde probe
distingvendum est inter esse spirituale & possidere aliquid
spirituale. Prius de homine tanquam toto formato non
potest adstrui vi Axiomatis illius, (qvalis forma &c.)
quia ut dictum $\tau\delta$ spirituale pertinet ad animam ratione
Essentiæ, non officii: posterius autem de homine tan-
quam toto formato concedere possumus, quod nimirum
possideat & habeat animam spirituales, propter quam
tamen nec fit spiritualis, nec totus spiritualitatem usur-
pat. Quem in modum ferrum ignitum non tantum ca-
lorem & splendorem, sed etiam levitatem sibi communi-
catã possidet, interim tamen tantum calorem & splendo-
rem ita possidet, ut per ea fiat ac intrinsece denominetur
calidum & splendidum, per levitatem autem ignis fer-
rum non fit leve. Utuntur quoque hæc distinctione
Theologi in ardua controversia de Communicatione I-
diomatum divinorum humanæ Christi naturæ facta, di-
centes:

centes: Omnia quidem idiomata divina eidem commu-
nicata esse, sed diverso modo: nempe vel tantum quoad
possessionem, vel quoad possessionem & usurpationem si-
mul: Priori modo communicatam esse carni Christi e. g. inde-
pendentiam, imensitatem &c. posteriori autem modo e. g.
omni presentiam, omnipotentiam, omniscientiam &c.
Videatur *B. Hülsemanni Breviar, Cap. VII. Tb. IX, & supplementi
Tb. XIV.*

§. 20. Nec decederet quicquam Canonis nostro, si te-
lum inverteres, formamque hominis non tantum rationa-
lem esse posse concluderes, siquidem formatum, homo ni-
mirum, non tantum ratione, sed & sensibus, imo facultati-
bus vegetativis fruatur. Fatendum tamen est, tum per
alias rationes, tum per hanc imprimis, unitatem animæ
in homine semper impugnatam fuisse. Detestanda pla-
ne erat ex Hæreticis Manichæorum sententia, statuenti-
um in homine duas rationales animas, quarum una à
principio bono, altera à malo dependeat; contra quos
B. Augustinus passim. Nec horum delirium fluxit ex som-
nio nobis hic adverso. Magis huc pertinent Philosophi,
inter quos, qui plures in homine animas olim collocabant,
alii eas in diversis corporis partibus, alii omnes simul in to-
to corpore habitare statuebant. In diversis partibus po-
nebant eas Pythagoras & Plato, ita ut anima, aut animæ
pars rationalis in cerebro, irascibilis in corde, concupisci-
bilis in epate resideret. Hoc sensu *Plato in Timæo* non in-
elegantem dicit, animam immortalem à mortali, colli Isth-
mo separatam esse; ac si peninsula quædam esset caput
hominis, in qua rationalis pars animæ habitaret, & Isth-
mus collum, se jungens caput à pectore, cum quo jungens,
non aliter ac Isthmus facit peninsulæ ac terræ continenti,
Et in *Thætæto* dicuntur tres illæ animæ, non sicut Ulysses &
turba Græcorum in eqvo Trojano sine ordine & confuse, sed
harmonicam quædam conspiratione inter se devinctæ esse, si-
cut milites in acie. Ex antiquis plures hominis animas
simul in toto corpore esse putabat ex Græcis Aristotelis
Interpretibus *Philoponus*, cui ex Nominalibus *Occamus*, ex
C Scho-

Scholasticis *Franciscus Mayronius* subscripsit. Quid recentiores, in homine vel duas vel tres ponentes animas, statuant, notum est. Sed his omnibus opponendum est illud solenne Nominalium: Non sunt multiplicanda Entia præter necessitatem, aut, uti plenius Gabriel exiis illud effert; non est ponenda pluralitas sine ratione evidenti, aut experientia, vel autoritate, cui non licet contradicere. Sane inter rationes illa quæ à nostro petitur Axiomate, nulla est. Nam forma rationalis præstat quidem necessario formatum rationale, sed non tantum. Pertinet enim huc illud tritum: Unius positio non est alterius exclusio. Simile, quò aliàs delectatur *Excellentissimus Dominus Præses*, desumptum est à Principe: Quemadmodum enim ille dignitates inferiores, puta Comitis &c. Ita anima humana, princeps animarum, inferiorum facultates in se complectitur, quarum beneficio homo & sentit uti brutum, & nutritur &c. uti planta.

*Quartum
Necessariū
Dependens,
ratione fi-
nis.*

§. 21. Claudit deniq; Necessitas ratione finis, & definitur, quod sit, quæ ex suppositione finis, qui intenditur, non potest se aliter habere; sive ut cum Aristotele loquar: *Lib. V. Metaph. Cap. V. sine quo ut concausa fieri non potest ut vivatur*; nam & hæc necessitas magnâ ex parte res naturales & viventes, ad quas ille speciatim hic respicit, comitatur. Quod tamen exclusive non est accipiendum, cum & in rebus vitæ expertib⁹ deprehendatur, adeò ut universaliter iterum formandum sit Axioma nostrum Apodicticum: Cujus finis est necessarius, ejus quoque necessaria sunt media. Nam hoc sane requirit mutua mediorum cum fine; & finis cum mediis connexio; finis est aliquid consequens & posterius, media vero, quæ ad finem deducunt, sunt Antecedens.

§. 22. Est autem hæc necessitas duplex: altera dicitur necessitas *ad esse*, quæ ad Essentiam facit omnimodè, & ubi rei Essentia mediis destructis corrumpitur; altera, quæ *V. Metaph. Cap. 5.* ab Aristotele definitur: *sine quibus (sc. mediis) fieri nequit, ut bonum aut sit, aut fiat; vel malum aliquid amoveatur aut non adsit.* Clarius: Dicitur hoc secundo

do modo necessarium id, sine quo nec bonum comparari aut conservari, nec malum abjici aut vitari potest. Sic positus quibusdam libris & indefesso studio, potest quidem acquiri eruditio à Studiofo; melius tamen poterit, si ille sufficientissima pecunia fuerit instructus, nihilque, quod retardare ejus laborem possit, inveniatur. Sic potest viator iter suum per pedes conficere quidem, melius tamen si equo vel vehiculo fuerit instructus. Hinc ut unico vocabulo rem totam expediam; illa poterit dici *necessitas Essentia, hæc Expedientia.*

§. 23. Et hæc necessitas ratione finis specialiter dicitur necessitas ex hypothesi, adnotante B. Stablio. Notanter dico, *specialiter*: necessitas enim ex hypothesi in genere latius atque illa, quæ ex suppositione finis oritur, patet; id quod vel ex ipsa hujus necessitatis descriptione apparet. Est enim necessarium ex hypothesi, *quod cum in se sit contingens, posito tamen aliquo non potest non esse. Sive, cujus contrarium non in se & ex natura rei, sed ex hypothesi est impossibile.* Ita in se quidem contingens est, Adamum peccasse, interim tamen posito, quod peccarit, necessarium est; nec contrarium, Adamum non peccasse, in se est impossibile; attamen ex hypothesi & suppositione lapsus sive peccati impossibile redditur.

§. 24. Exempla particularium hujusmodi demonstrationum si sint conquirenda, invenientur ea ad abundantiam usque in Philosophia Practica, in qua usus Axiomatis nostri est amplissimus. Ob quam causam id etiam specialiter ei accommodat H. Grotius Lib. II. de J. B. & P. Cap. 5. §. 24. *Necessitas finis jus facit in moralibus.* Et Lib. III. Cap. 1. §. 2. *Ea quæ ad finem ducunt in morali materia, estimationem intrinsecam accipiunt ab ipso fine: quare quæ ad finem juris consequendi sunt necessaria, necessitate sumt à non secundum Physicam subtilitatem, sed moraliter, ad ea jus habere intelligimur.* Quod adeo verum est, ut Magistratus etiam in statu corrupto bellum & licite possit, & necessario debeat gerere, si salus Reipublicæ tanquam finis illius necessarius, id inevitabiliter exigat; tametsi à statu integritatis hoc medium aliàs
exu-

exulet; quod ab Excell. Dno. Præside in Compendio J. N. passim deductum, ut & Axioma Nostrum à dubiis in Prolegom. Part. 2. p. 28. seq. liberatum est; adeò ut actum ibi agere hic nolim.

§. 25. Observo potius ex hac Methodo demonstrativa Metaphysicæ constare clarissimè de Architectonica potestate & dominatu hujus disciplinæ in scientias particulares. Hactenus ad tam splendidum Jus tuendum ab Aristotelicis allegata fuit dignitas Objecti, quod illi faciunt Deum ipsum: A scholasticis Nostratibusqve, qui eos agmine factò sequuntur, idem fuit deductum ex generalissimis terminis & primis cognoscendi principiis, quibus opus habent inferiores disciplinæ ad nutum Metaphysicæ uti. Jungamus nos his prærogativis valorem de Ente demonstrandi innumera attributa universaliter, quem Metaphysicæ ductum scientiæ particulares in demonstrationibus suis particularibus tenentur observare, nisi facultate demonstrandi velint excidere. Quæcunqve igitur disciplina præit modum demonstrandi universaliter, illa est Architectonica & Dominatrix scientia. Atqvi Metaphysica &c, E.

S. D. G.

Ad
Eximiè Doctum Dn. RESPOND.

TU Sophien Primam demonstras esse scientem:

Perge! Sopho nulli namqve secundus eris.

PRÆSES.




Leipzig, Diss., 1675 (1)

ULB Halle

3


004 581 636




TA → OL

f. nur 1 + 9 Stück verbunden

VD17





B.I.G.

Farbkarte #13



1679, 1

DEMTORIS ADSIT.
ECIMEN
um Metaphysicarum
De

SSARIO NDENTE,

Sive
ufam habet,
entis Dci auxilio,
Et
Philosoph. consensu,

ESIDE
ECTABILISSIMO,
I R O

ISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,
O ALBERTI, S. S.
, ejusdem Prof. Extraordinario,
Facult. Philosoph. Assessore, Colleg.
mix Decemviro & Alumnorum
o undiquaq; meritissimo.

ac Præceptore suo Parentis in-
evenerando, colendo,
br. M. DC. LXXIX.

n disquisitioni proponet,
e/Annæb. Misn. Philo-
S. Theol. Stud.
ESPONDENS.

L. Q. C.

S I Æ,
HAELIS VOGTH. 1679

Handwritten notes and signatures at the bottom right of the page.

